



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Aegri tacto corpore sanantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43172**

eodem Zerla auctore, apparuit.

Absoluta demum pectoris inspectione sine graui odore, sanctum relinquitur corpus intestinis vacuū: Hæc, nempe cor, pulmo, iecur, lien, & exta, catino terreo inclusa in sepulchro sepeliendis Patribus constructo condita sunt, terraque obruta: illud verò ad sequentem diem, quò populo satisfaceret, in Ecclesia omnium oculis expositum relinquere oportuit.

Concursus postero die facti prioris diei concursum longè, multumque superarunt: quò enim magis Beati Patris obitus diuulgabatur, eò frequentior ad eum visendum omnium ordinum multitudo confluebat.

*Aegri tacto corpore sanantur.*

**D**Vm Beati Patris corpus iaceret in feretro, egregia eius facinora, prædictiones, ac miracula ab ijs, qui aut ipsi oculis perspexerant,

exper-

expertiq; erant, aut fidelissimis didicerant testibus, passim narrabantur: id cum fieret, veteribus mox miraculis noua miracula adduntur.

Laborabat Augustinus Magistrius Romanus ad septem circiter annos strumis in ceruice natis, quæ arte nulla medici sanare potuerant. In ceruice bina erant vlcera, quorum quod sinistro hærebat lateri, altius descendebat ad os vsque penetrans, atque ex eo multus humor assiduè exhibat, qui esse inter saniem, & pus videbatur, qui humor ita fluens intuentes ad nauseam concitabat. Hic vbi sanctum virum miraculis coruscantem apud nostros obijisse audit, ad nostram mox Ecclesiã aduolat, feretro propius accedens humi genua prosternit, sacrum corpus veneratur: tum ex oratione surgens defuncti manus osculatur, certam ex eo attactu valetudinem sibi pollicitus. nec sua illum pietas frustra-

*Totam re  
sex iurati,  
oculatiq;  
testes enun-  
ciauere.*

frustrata est; namque vt Beati ma-  
nus collo, vbi infidebat morbus, ad-  
mouet, extemplò sanatur.

*Id testes  
sex oculati  
publico te-  
stimonio  
confirma-  
runt.*

Huius soror Margarita natu mi-  
nor totos sex annos eodem morbo  
oppressa ad Ecclesiam à matre ad-  
ducitur: sed cum præ turba impetu  
sæpè capto, vix sibi spatium ad sacrū  
corpus accedendi daretur, impor-  
tunitate tandem matris ipsam in  
manibus gestantis ad feretrum de-  
uehitur: ibi ad alteram ex vitiosis  
partibus defuncti manum sibi ap-  
ponens (ad vtramque enim Beati  
viri Calice, & multitudine impedi-  
ente, Principeque femina aduen-  
tante non potuit) totum ab ea mor-  
bum confestim abijisse (altera, cui  
Philippi manus haud admota fue-  
rat non sanata) persensit.

*2  
Eius rei iu-  
rati ocula-  
tiq; testes  
quatuor.*

Horum parens nomine Alexan-  
der<sup>a</sup> plus sexaginta annos natus, è  
capite fluxionem in oculos delabē-  
tem duos iam menses patiebatur:  
vesperi ne accensas quidem faces

ferre

ferre poterat; is itaq; veritus ne propter humorem assiduè fluentem, oculorum aciem amitteret, ad Philippi corpus visendum accurrit, eiusque manus oculis admouet suis: quod dum faceret, melius derepentè habere cœpit, breuiq; nullo prorsus adhibito medicamento è morbo planè conualuit.

Epiphania Colichia Recinetensis<sup>a</sup> quinto & quinquagesimo ætatis anno difficultate respirandi adeò molestà per septem circiter menses laborauerat, vt maximis pressa angustijs non modò anhelitum trahere nō posset, aut vix verbum formare, sed ne spirare quidem sine sono, & anhelatione, neque noctu cōquiescere, neque in lecto decumbere: accedebat id quoque, vt caput in lecto sublime habere cogeretur, quippe non nisi recta ceruice spiritum traheret: ambulatio præterea æque vt ascensus feminæ molestiam exhibebat quàm maximam. Ergo

hæc

*Id testes  
qui adsue-  
re tres sa-  
cramento  
confirma-  
runt.*

hæc Philippi sanctimonix, miraculorumque fama excita ad nostram mox Ecclesiam vt ægrè potuit, venit: ante feretrum genibus nixa Beatum Patrem, quo poterat animi ardore obortis lacrymis enixè orat, vt se pristinx restituat incolumitatum vbi paulùm precata esset, sumptisrosis, quæ circum sanctum corpus erant, eisque super stomachum fiducia plena impositis, salutem illico sibi redditam esse aduertit.

*a*  
Totã rem,  
Et ceteros  
fileam in  
reiuurando  
enarravit  
Casar  
Card. Ba-  
ronius, qui  
eius cõfes-  
siones au-  
diebat.

Artemisix Chelix<sup>a</sup> durum, ac renitens tuberculum in sinistra manus articulo ortum erat: id morbi genus ganglion medici, seu nodum vocant. Tuberculum ex paruulo incœpit, & diu paulatimq; ad eò increuit, vt nucis magnitudinẽ nedũ expleret, sed excederet, ouique ferme æquaret. Hæc itaque Philippi morte vulgata ad eius venerandum corpus festina perrexit, affectam confestim manũ, qua parte morbo

libera

libera erat, quòd hominum, qui a-  
stabant, puderet, sacris admouit re-  
liquijs: tum rosas è feretro excipi-  
ens morbum fricatione expellere  
nititur: id pura fide cum effecisset,  
eaque mente, vt sibi sanitatem cor-  
poris Beatus Philippus impetra-  
ret, eius obsecrationibus Dei au-  
res patuerunt; morbus enim bre-  
ui nullo adiutus medicamento eua-  
nuit.

Caput puellæ nobili loco natæ,  
Mariæ Iustinianæ nomine, scabies,  
seu papulæ occupauerant: proef-  
ferat morbus in orbem; medicamē-  
tis adiuuari non poterat: eius mater  
Beati Patris nostri morte cognita  
mox filiam ad eius corpus adducit;  
id à Deo precata vt ob eius merita  
illam ad pristinam valetudinem re-  
uocet: tum capillis ex eius capite  
latenter, furtimque abscissis, eos  
magni thesauri instar quasi de cor-  
porali filix salute iam secura læta  
domum tulit: eò vbi venit, puel-

læ mox

*Testes in-  
rati ocula-  
tiq; id enō  
clarunt.*

læ mox caput Philippi capillis leniter perfricat; quod dum faceret, rogo te, dicebat, Sancte Philippe, ut ob eas cogitationes, in quibus assidue versabaris, quò Christi fidelibus prodesse, filiæ meæ, quam expecto salutem conferas: nec sua eam frustrata pietas, ex eo enim tempore adeo puellæ melius fuit, ut tridui spatio caput ea contagione liberum sibi senserit, media eius in parte venico tantum vlcere ærei nummi instar, quadrantem vulgo dicimus, relicto, ex quo pus, seu sanies exibat assidue; sed ad id cum eodẽ prorsus medicamento pia mater humanis remedijs spretis vteretur, breui id quoque vlcus euauit.

*Corpus sepultura mandatur.*

**E**Xacto triduo visum est Patribus defuncti corpus arca lignea inclusum prope Aram maximam in sepulchro communi condere: id ubi rescivit Federicus Cardinalis

Bor-